Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



quia illic est. & uenerunt non propter ihesum tantum. sed ut lazarum uiderent quem suscitauit a mortuis. Cogitauerunt autem principes sacerdotum. ut lazarum interficerent. quia multi propter illum abibant ex iudeis. & credebant in ihesum. In crastino autem turba multa que uenerat ad diem festum cum audissent quia ihs uenit iherosolimam. acceperunt ramos palmarum. & processerunt obuiam ei & clamabant. Osanna benedictus qui uenit in nomine domini. rex israhel. Et inuenit ihs asellum. & sedit super eum. sicut scriptum est. Noli timere filia syon. ecce rex tuus uenit tibi. sedens super pullum asine. hec non cognouerunt discipuli eius primum. sed quando glorificatus est ihs. tunc recordati sunt. quia hec erant scripta de eo. & hec fecerunt ei. Testimonium perhibebat turba. que erat cum eo. quando lazarum uocauit de monumento. & suscitauit eum a mortuis. Propter hoc obuiam uenit ei turba. quia audierunt eum fecisse hoc signum. Pharisei autem dixerunt ad semetipsos. Videtis quia nihil proficimus. Ecce mundus totus post eum abiit. Erant autem gentiles quidam ex his qui ascenderant. ut adorarent in die festo. hi ergo accesserunt ad philippum qui erat a bethsaida galilee. & rogabant eum dicentes. Domine uolumus ihm uidere. Venit philippus & dicit andree. Andreas rursum & philippus dixerunt ihu. Ihs autem respondit eis dicens. Venit hora ut clarificetur filius hominis. Amen amen dico uobis nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit. ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit. multum fructum affert. Qui amat animam suam perdet eam. Et qui odit animam suam in hoc mundo.

205